

205.

I 205.

Konrad Grebel¹⁾ an Vadian.

Zürich. 1520. Juli 29.

Ursachen der Verzögerung seines Besuches in St. Gallen.

S(alutem). Patriæ fumum tanquam erranti Ulyssi sic gratum esse
velim existimes, ut eius gratia ad vos, tantopere me desiderantes^{a)}, serius
venire laborem. Et non sunt adeo multi veterum sodalium, qui me fami-
liaritate sua sic, ut Vadianum distraham, detinere vel uno die possunt.
Nulla quoque, ut vel hinc me purgem, Thaidum Tigurinarum post
adventum meum me incantavit Circeisque poculis alium reddidit, qui nolit
toties invitantes adire. Sed est omnino illa librorum, cum quibus alia
patri non videnda colligata sunt, expectatio, quin iam apud vos non sim,
in causa. Si venient futuro dierum octo spatio sive non venient, nihil po-
terero ipse mihi deinde causæ fingere, qui non ficturus alioquin eram, quin
ad vos non testudineo gradu iter arripiam advolemque celerrime. Ut hanc
causam esse tibi persuaderem, parentes iusserunt. Est enim omnium vo-
luntas, ut te visam, atque maxime eorum, qui me non expectatis libris
voluissent abire. Ego si maxime eadem cupiverim, cupiam; vereor tamen
me absente visurum patrem, quem nollem supervolitantem avem patres
conspicere posse. Hęc ego literis tuis ter invitatus in hanc diem usque
reddo. Sororem, tuos omnes eosque, qui mei sunt, nomine meo salvare
iubebis. Vale, desideratissime^{a)} præceptorum affiniumque observatissime;
nostri te salutant tuosque omnes. Tiguri, 4 Kalendas Augusti, anno
MDXX.

Conradus Grebelius tuus.

Domino doctori Ioachimo Vadiano, poetæ et oratori lau-
reato, virorum omnium longe colendissimo.

a) „desyderantes“, „desyderatissime“.

1) Vrgl. I, Register.

1520 ? Juli 30. U. Fabri III 202 Nr. 63.

1520 ? A. Eigen d. j. 206. III 202 Nr. 64